

### III.

## NEOVIDENSIS

Nro. 85. (Neovidensis 1807. Nro. 84.)

*Secretum litterarum Commercium  
Vivos inter et vita functos.*

Eventus politici.

Elysiūm-Meum.-Die Veneris 30. Octob. (Neovid. 16 Oct. 1807.)

Litteræ Gothenburgō perhibent: Comitem  
Liliæ cum Duce Engolismensi Carolo Corona  
venientem, ibidem expectatum, in quo por-  
tu navem conscensuri, demum Angliam pe-  
tituri. Ergo Anglia omnes olim Galliarum  
Primores sinu excipiet suo, sed quid si &  
hæc pacem fecerit?

*Hafnia die 3. Octob.* Sequens nūctum hujati-  
bus contentum paginis (Dania A. 1807) quasi  
ex officio scriptum, fidem proin meretur. Cir-  
citer Idus Sextiles primarius Locumtenens a  
*Steffens* ad Hafnensem Governatorem Supr.  
Excubiarum Præfectum *Pejmann* expeditus est;  
litteris a Serenissimo Regio Coronæ Princi-  
pæ sequentis argūmenti." Quamquam per  
mihī grave, molestumque accidat, deditio-  
nem Hafniæ vel sola mentē concipere, &  
quāntumvis hanc urbem hostibus faciendam  
traditionem; quamdiū Dominatio imperio  
præ fuerit, nequidquam metuam, e re nihilo-  
minus esse existimo Domino Generali Duci

hiscæ notum reddere, Majestatis Regiæ eam voluntatem, jussumque fore; ut Dominatio in casu, quo infortunium, quod Deus avertat; accideret, ut Hafnia obsidione capiatur, & in hostium manus incideret, ut inquam, prius Classis comburatur navibusque ignes subjiciantur, quam urbs ab hoste occupata fuerit, quoniam Majestas Regia ex duobus malis, minus præeligendum duxerit; & reapse in ratione Sui Majestatis minus malum sit: Classem suam Vulcani flammis credere, quam malum longe majus amplecti, utpote: eam in manibus hostium suorum totiusque Regni contemplari; hacque ratione hic convitiatoribus ovationem largiri, quam nullus Daniæ subditorum æquo ferre posset animo.

Exactis his ærumnis ad errores hostium declinandos Locumtenens *Steffens* tandem Seelandiam pertigit, jamque ad sesquialterum ab urbe lapidem distabat, cum, quamquam in simulata veste, ab hostili excubatoria nave adprehenderetur; atque in hostile hospitium deferretur; attamen litteras a Coronæ Principe datas prius annihilarat, quam ab hostibus vinciretur; ab his pro tribunali rogatus, ecquid litterarum haberet, & ubi essent, aut quid sibi agendorum mandatum esset? negabat pertinaciter ultroque quæsita inficiatus, quo commotus hostis tormenta minatus, verum revocato paulo post animo a consilio tam fædo desistendum ratus; evolutis aliquot diebus Dominum Locumtenentem ad Classem expedit, in qua ad infe-

hæc usque Capitulationis terminum perstitit. Tempore quo apud hostes moratus fidem ejus tentare volebant, eumque ad stipendiis Danicis decedendum, Anglicanaque amplectenda quæstis rationibus perducere nitebantur.

### G e r m a n i a.

Die 10. h. m. Imperii Marechallus *Brius* cum pluribus adjutoribus Veselia Parisios profectus est.

Die 15. ejusdem adpulit ad Cæsareo Regiam aulam Gallicanam destinatus Regius Prussicus Legatus D. Baro a *Brokhausen*, cum comite, atque Legationis Consiliario *Teschke* Manhemium, iterque die 16. Parisios prosectus est.

Industriali scholæ pro pauperibus liberis, quam Præpositus *Hanstein* moderatur, Regina Memelia medio ibi commorantium Deputatorum Electoralis Marchiæ Statuum, nominatim medio Consilarii provincialis a *Pannewitz* 100 Fridericeos aureos transmiserat; munusculo sequentes adnexæ legebantur litteræ. „Propensio benefaciendi ab antiqua characteristicâ nota erat Berolinensium; ast nullo unquam tempore hæc sese explicabat elegantius, quam ipso nuper admodum terminato infelici bello; per indicatam ab æstimatione Dominatione fundationem ad servandos, educandos, & erudiendos discipulos pauperum adhuc in vivis agentium parentum filios. Pro orphanis diversæ speciei fundationes habentur.

tur, at, quæ ope laborantibus memoratæ conditionis prolibus consuleret, ad præsens nulla provisio existit. Institutum igitur hocce communem gratiarum actionem, & alacre deposcit subveniendi studium. Equidem admodum animo commoveor teneritudine argumenti æstimationis, fiducia, amorisque, quod auctores suis de 12. h. m. litteris per id contestabantur, quod Instituto meum nomen indere, meoque patrocinio commendare in animum induxerint.

Cum animi voluptate non modo utrumque consilium amplector, verum ratas quoque habeo confectas, & elaboratas secundum Elenchum impensas in educationem 4 alumnorum, quorum electionem Vestræ Dominationi commendo, petoque iis secundum Regiminis tenorem Curatorem præficere velit.

Adclusos Centum Fridericeos, ut primæ eos Instituti instructioni impendat, oro. Bellum adeo dira genti adferens, cujus communem matrem esse me, in sinu gaudeo, quosdam etiam elegantes fructus protulit, multorumque bonorum semina jecit. Vires proin jungamus, ad hæc germina curanda, & sperare nobis licebit; nos jacturam potestatis, per lucrum virtutis abunde & ubertim compensaturos.

Vestra Dominatio, *Domine Præposite!* partes suas pro virili exegerat, finem hunc adipiscendi; pluresque dignissimorum suorum Collegarum hoc præclaro facto suo in æmulationem & contentionem traxit; hacque a-

gendi ratione in Berolinensibus mentem salutare fovit, percoluit, qua una fatali tempore cum dignitate vita conservari potest. Quo amoris vinculum, quod nationem imperantemque colligaverat, tanto firmitus constrictum est, quemadmodum revisendi voluptas, quæ mutua utraque ex parte ampla est, tanto purior futura est. D. V. bene affecta *Ludovica. Memelie* 18. Sept. 1807. Domino Præposito *Hanstein.*"

Casselanis Ephemeridibus sequentia publici Juris facta: Litteræ Serenissimi Principis *Alexandri*, Pro Connetabilis, Generalis Excubiarum Præfetti magni executus, ad Dominos de Collegio Regiminis Regni Westphaliæ. Ex Fonte bellaqueo 5. Oct. 1807. Mei Domini! Semper Imperatoris fuit voluntas: ut pro Regno Westphaliæ destinatæ provinciæ, a tempore pacis, prout ditiones aliorum fœderatorum Imperantium tractentur; Equidem Generalibus Ducibus *Lagrange*, & *Gobert* scripseram, ut intelligant: ædes regis immunes esse debere, neminique eas incolere integrum esse; ut personæ militares stipendiis suis, & ab Imperatore admissis compensationibus contenti vivant, quin huiusmodi exactiones ab urbibus aut prædiis, in quibus stationes habent, faciant; Copiæ in Regno Westphaliæ æque ac in Gallia consistunt, eo solum cum discrimine: quod quævis stipendia & comteatum suum secundum normam bellicam percipiant; summa ratio ditionum, quæ ad fratrem Imperatoris pertinent, ha-

benda est. Procommetabilis G. E. Præfectus  
Princeps Alexander.

### I t a l i a

*Florentia die 3. Octob.* Die 24. p. m. ad-  
pulit Cardinalis *Bayane*, qui in qualitate ex-  
traordinarii legati, Parisios proficiscitur; Regi-  
nam regentem solenniter adivit, mox 26. iter  
ultra prosequatur, die 27. Generalis Dux  
*Miollis* Liburno huc adpulit, salutataque regina  
29 rursum Liburnum revertit. Pro Rex Italiæ  
aulæ nostræ indicavit: Ephemerides Mediola-  
nenses, quæ occasione ingressus copiarum gal-  
licarum in Regnum Hetruriæ præposteris atque  
indecoris animadversionibus indulgebant, abo-  
litas esse.

Anglicana ad *Tenedum* Classis de præsentibus  
denas de linea naves complectitur.

*Melita*, fertur: in ejate portu unam solum  
Anglicanam navem unumque navigium reperi-  
ri, prædiariorum quoque ejatum exiguum nu-  
merum, quod plurimæ copiæ & naves Alexan-  
driam Aegypti profectæ. In omni Italia messis  
expectationem omnem excedebat; quoniam lo-  
co & statione Russica sub imperio Ducis *Sinia-  
vin* consistat, nondum exploratum.

*Landino 20. Septemb.* Discessus legati Ameri-  
cani *D. Monroe* nequaquam instantis, ut nonnul-  
lis publicis paginis placet belli indicium est. *D.*  
*Jefferson* nihil minus quam belli cupidus est, res-  
que ac vires maritimæ Americanæ primum ado-  
lescunt, aliquot solummodo naves bellicas edu-  
cendo est. In summa: Americæ ex dispari hoc

bello damnum solum, at nullum enasci potest emolumentum, *D. Pinkney* vicem *Dom. Monroe* in munere legationis obiturus est. Secundum ea quæ *Alexandria* Aegypti referuntur, de 16. Junio, Anglici exercitus suppetiæ ex Sicilia illic adpulere, in urbe tranquilla omnia. Bédouini abunde pro parato ære com meatum advectabant. Turcæ ad *Rosettam* castra dena armatorum millia continentia metati. Castrum *Abukir* ab Anglis occupatum,

*D. Merry* consilium habuit, cum diplomaticis mandatis ex Anglia in Daniam proficiscendi. *Hullio* 256 remiges *Hafniam* discessere, ultra 2000 maritimi Londini & in Anglicanis portubus stipendia navalia amplexi sunt, ad *Classem Danicam* portubus Anglicanis inferendam. In portubus *Chatham*, & *Sheerness* adparatus multi ad recipiendam *Danicam Classem* facti. Naves de linea ad portum *Sheerness*, minores bellicæ *Blakstak* deferendæ, *Richardus Strachan* rursus imperium militare *Classis Caletanæ* recipiet. *D. Canning* concilium negotiorum politicorum in medium proferendorum celebravit, quod multo rumrois ansam dedit.

#### M i s c e l l a n e a.

*Monachio* de 13. Oct. sequentes in argumento novissimi *Cometae* leguntur; ex tempore postremæ die 5. h. m, institutæ observationis *Cometa* ob nubila, & inconstans cœlum hesterno solum iterum videri potuit, Die 7. vesp. D, Consiliar. *Seyffer* principibus viris in opportuno faciendis observationibus loco per tabos astronomicos exhibuit cometam; quo is jum usque *Deltam*

serpentis Ophiuchi promotus exstitit; cauda ejus directionem mutaverat, & magnitudine ac extensione auctior facta, caput ipsum luce profecerat, ut acutissimi visus oculi regis, qui ad longissimam distantiam prospiciunt, & velociter & mature eum detexeriat; hesterno (12. Oct.) cometa infra Betham serpentis consistebat, & medio Circularis micrometri directæ ejus ascensio 234 gr, 30. m. borealis declinatio 12° 18' & hora 8.33' 15" meridiei. Cometa luce, adparente extensione, prolongatione, & contractione profecit syrmatis sul, motus ejus incre scit, ex quò colligitur: Soli accedere; quivis alius cosmicus influxus cometæ in tellurem nostram e.g. ab eo aliquid lucis borealis nobis subdûci, per complexum telluris in suo syrmate (qui aliquot million. milliaria numerat) singularem æstivam & brumalem temperiẽm nob. præparari, quod denique chemicum processum ad acrem hyemem disponat; indecisus manere potest; (Cometa de 1680 die 18. Dec. adeo soli propinquus erat, ut in eo sol 40000 vicibus major adparuerit, quam apud nos; ut proin solis incolis adpartitio hujus Cometæ anxietatẽm adferre debuerit.

Rex erga propositionem Minist. negotiorum Internorum in argumento totalis revisionis lingue germanicæ præprimis in subsidium elaborandæ in usum Scholar. Bavaricarum Grammaticæ germanicæ, decernendum duxit; ut, ad universalem Grammaticorum conatum procurandum, elaborationi præstantissimæ Grammaticæ germanicæ *praemium* 200 *Carolinorum* præfigatur. Terminus Concursus usque Calendæ Jani, 1809 patet.